

cretum *S. C. Rituum*: in qua proposito per Card. Scotum dubio die 13. Maji 1719. *An liceat erigere Altare particulare pro explendo Baptismate Infantis Baronis?* Responsum fuit: *licere permittente Episcopo, et ad mentem, quae fuit, ut permitteret.*

20 21 Sed cum sumper sit extra necessitatem haec administratio Baptismi in Oratoriis, seu Capellis Principum, non dispensantur Ministri ab usu Aquae baptismalis solemniter benedictae, quia, licet private id habeatur, adhuc est sollemnis administratio. Sed in sollemni Baptismo debet adhiberi Aqua Fontis Baptismalis; ergo etiam in hoc usu in quo Parochus debet quantam Aquam sufficere judicat ad hoc ministerium e sacro Fonte exhaurire, et illam in vasculo mundo decenter ad locum Baptismi faciendi deferre, nec non quidquid ex ea superest, ad Fontem iterum, seu ad sacrarium reportare.

§. IV. Baptisterium sit in decenti loco, et forma, materiaque solida, et quae Aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera, et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur Imago Sancti Joannis Christum baptizantis.

22 De forma, et nitore. nec non de custodia, et cura Baptisterii, satis clare, et perspicue loquitur, et regulas praestat Marcell. Cavallier. saepius a me in hoc opere enunciatus, *Rect. Eccl. tit. 8. pag. 17. et seqq.* a cujus documentis recedere non diligentis ecclesiastici esset.

23 24 Imago S. Joannis Baptistae praecipitur a textu nostro, ut ex illa distinguatur Fons baptismalis a cuoquaque alio aedificio similiter facto vel intus, vel extra Ecclesiam. In aliquibus Civitatibus S. Joannes Baptista assumitur in Neophytorum protectorem.

25 26 Addo etiam: cum quisque locus sacer alicui Sancto dicandus sit, Fontem baptismalem in honorem Praecursoris Domini, qui in Jordane Christum baptizavit, consecrari debere; et hoc ad denotandum pertranseuntibus mysterium, de quo in illo loco agitur; nam Baptismus noster fuit figuratus in Baptismo Christi, in quo Christus, non a se, sed a Joanne voluit baptizari, Clericat. *de Bapt. dec. 38. num. 2. §. His tamen, etc.*



DE

SACRIS OLEIS

ET ALIIS REQUISITIS.

TITULUS DECIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Duo Olea praescripta sunt ad usum Baptismi.
- 2 Chrisma idem est ac unctio.
- 3 Ejus definitio.
- 4 Quid sit Oleum Catechumenorum?
- 5 Catechumenus quid significet.
- 6 Oleum Sanctum debet benedici illo anno, quo adhibetur.
- 7 Sacerdos adhibens vetus Oleum peccat.
- 8 Vetus Oleum comburendum.
- 9 In casu necessitatis adhiberi potest vetus Oleum.
- 10 Ratio Physica propter quam non debet adhiberi vetus Oleum.
- 11 Oleum Sacrum debet benedici ab Episcopo.
- 12 Simplex Sacerdos ex sola commiss'one Papae potest benedicere Oleum.
- 13 Sed intelligi debet de Oleo Extremae Unctionis.
- 14 Parochus eligere debet Personam dignam, quae deferat Olea Sacra de loco ad locum.
- 15 Oleum non benedictum potest immisceri benedicto.
- 16 Vasa pro Oleis quatenus esse debeant.
- 17 Excluduntur aenea, vitrea, lignea, marmorea, etc.
- 18 Inscriptio Vasculorum debet esse bene efformata.
- 19 An peccet adhibens unum Oleum pro alio?
- 20 In Extrema Unctione errans in Oleo, Unctionem repetat.
- 21 Multi Doctores tamen sustinent opinionem contrariam.
- 22 Bombacium, seu alia materia similis adhibenda.
- 23 Digitus pollex adhibendus in Unctione.
- 24 Vasculi Oleorum custodiri debent in Fonte Baptismi.
- 25 Non omnis tactus Sacrorum Vasculorum sacrilegus est.
- 26 Sortilegia multa fiunt cum Oleo Sancto.
- 27 Per Oleum Sanctum multa mala tolluntur.
- 28 Sacra Olea debent deferri per Ministrum Ecclesiasticum.
- 29 An Campanarius deferre possit Olea Sacra?
- 30 Salis benedictio duplex.
- 31 Sal benedictum pro uno ministerio, non adhibeatur pro alio.
- 32 Sal benedictum imminutum esse debet.

- 33 Sal debet esse naturale, non artefactum.
- 34 Sortilegia multa possunt fieri cum sale benedicto.
- 35 Pro Aqua benedicenda non est adhibenda sal Baptismi.
- 36 Baptismus sollemnis nec interrumpi, nec imperfectus remanere debet.
- 37 Deficientia alicujus rei necessariae in collatione Baptismi facit, ut suspendatur Baptismus si sit ante ablutionem.
- 38 Vas pro sale cujus materiae esse debeat?
- 39 Cochleare pro Baptismo quale esse debeat?
- 40 Pelvis, seu bacile pro Baptismo cujus materiae esse debeat?
- 41 Stola duplex debet esse parata pro Baptismo.
- 42 Panis medulla, seu farina ex Amygdalis, abstersiva digitorum.
- 43 Alba Vestis imponenda Baptizato debet esse parata.
- 44 Sudariolum, seu strophium inservit pro Alba veste.
- 45 Infanti pauperi vestis Alba debet praestari a Parocho.
- 46 Parochus de jure non potest linteolum petere.
- 47 Pretium pro sudariolo, et candela exigere non est laudabile.
- 48 Sudariolum pro tergendo capite Infantis paratum esse debet.
- 49 Candela accensa, quae datur Infanti, quid significet?
- 50 Rituales liber debet esse promptus in Baptisterio.
- 51 Hortamur prolatum a Papa habet vim legis, et praecepti.
- 52 Liber Baptismalis pro describendis Baptizatis debet esse paratus.
- 53 Vacchetta manualis aptior est ad hoc.
- 54 Cotta, et stola laudabilis induitur in Baptisterio.
- 55 Catechesis debet fieri extra fores Ecclesiae.
- 56 Interrogare debet Parochus an infans sit suae Parochiae.
- 57 Peregrini, et Zingari possunt ubique baptizari.
- 58 Baptizans Infantem alienae Parochiae sine licentiae peccat mortaliter.
- 59 Intentio Baptizantis debet fundari, et inniti veritati.
- 60 Debet patere an Baptizandus sit masculus, vel foemina.
- 61 Baptizans masculum pro foemina, et e contra, an valide conferat.
- 62 Parochus debet inquirere an Infans fuerit domi baptizatus.
- 63 Item quinam sint Patrini.
- 64 Nomina imponenda baptizandis debent esse Sanctorum.
- 65 Cur mutetur Nomen baptizandis?
- 66 Possunt tamen imponi nomina haereditaria.
- 67 Nomina in contemptum fidei sunt rejicienda.
- 68 Nomen Baptismi potest mutari in Confirmatione.
- 69 Nomen idiomate latino pronuntiandum est.
- 70 Brachium dextrum nobilius est sinistro.

1 Duo Olea ad usum Baptismi praescripta sunt ab Ecclesia; nempe Sacrum Chrisma, et Oleum Catechumenorum, cum quibus se junctim, et suis loco, et tempore, ante, et post Baptismum inungitur humana Creatura per Sacerdotem ministrantem hoc Sacramentum. Ideo dicit Textus:

§. I. Sacrum Chrisma, et Sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta feria quinta in Coena Domini.

2 *Chrisma* idem est ac *Unctio*. Christus enim a Chris-

mate dicitur, vel potius a Christo dicitur Chrisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem, *c. cum venisset de Sacr. Unct. §. quia vero*. Verum cum hic significet Oleum, debet potius, definiri cum Macrio.

3 4 5 Chrisma est Oleum balsamo mixtum, et ab Episcopo, assistentibus Sacerdotibus duodecim, Diaconis, septem, septemque Subdiaconis in feria v. majoris hebdomadae consecratum: *Oleum Catechumenorum*, seu Sanctum, vocatur a Davantria in suo *Caereimoniali M. S.* relat. a Macrio *verb. Oleum Sanctum*. Oleum exorcizatum ad reddendum illo inunctum verum Athletam Christi, ut in conflictu, et adversitate toleranter sustinere valeat: *Catechumenus* vox Graeca est, et significat qui Baptismum postulat, quia quasi Auditor est Verbi Dei, et ideo Audientes, seu Auditores eos vocat Isidor. *lib. 2. de Offic. Eccl. cap. 21*.

6 Haec Olea debent esse eo ipso anno benedicta: nam sicuti praescribitur in Textu antecedenti, quod singulis annis fiat renovatio Fontis, et quod Aqua sollemnis Baptismi sit eo anno benedicta, ita in hunc locum praecipitur, ut Oleum Sanctum sit benedictum hoc anno, *c. si quis de alio, de consecr. dist. 4. apud Coninck de Sacr. q. 71. art. 2. Pignat. T. 6. c. 41*.

7 8 9 10 Si Sacerdos uteretur veteri Oleo, peccaret graviter, et graviter quoque puniri deberet, *c. litteris, de consecr. dist. 3. Barbos. de pot. Episc. p. 2. alleg. 31*. Hoc tamen intelligi debet, si procul a necessitate hoc fieret: quia quamvis singulis annis vetus Oleum Sacrum sit comburendum, et novum consecrandum feria 5. in Coena Domini ex consuetudine, et praecepto Ecclesiae, Barbos. *d. num. 17*. urgente tamen necessitate, deficiente novo, poterit adhiberi Oleum benedictum vetus: *Ex respons. S. Congreg. Ep. 20. Maji 1590. apud Gavant. Manual. Ep. verb. Extr. Unctio*, et docet Diana *Coord. dict. t. 2. tr. 4. resol. 8. §. I. ubi DD. cumulat*, quibus adherent Salmaticenses, *d. tr. 7. cap. 2. n. 10. 11*. Nemo tamen quod sciam, adducit rationem, ob quam adsit haec tam rigorosa prohibitio, quam oriri credo ex hoc, quod Aqua stagnans, nec motum ullum habens, immixta Oleis, diu durare incorrupta non valet, et si ad annum durat, satis est; ne minister Baptismi exponatur periculo, aquam corruptam, et exauguratam ipso jure adhibendi.

11 12 13 Circa quod quaerit Clericat. *d. q. 65. num. 9*. An hujus Olei necessaria Benedictio adeo propria sit Episcoporum, ut neque ex dispensatione, et commissione Summi Pontificis fieri possit a Sacerdote simplici? Et pro responsione ad hoc dubium, varias DD. sententias, et doctrinas hinc in-

de affert, quas hic transcribere nimis prolixum negotium esset. Concludit tamen simplicem Sacerdotem, non nisi ex sola commissione Papae posse hujusmodi Oleum benedicere, non vero ex commissione Episcopi. Sed advertendum est, quod DD. qui affirmant posse Sacerdotem simplicem ex commissione Papae benedicere Oleum, intelligunt de Oleo Extremae Uctionis, non autem de *Chrismate*, et Oleo *Catechumenorum*, eo quia fundatur haec dispensatio in Ritu Graecorum, apud quos Oleum Extremae Uctionis conficitur toties quoties adest necessitas illud administrandi: non ita vero Sacrum Chrisma, quod etiam apud Graecos a solis Episcopis concecratur. Quare tutissima opinio est, munus concecrandi Olea ad solos Episcopos spectare, nec dari super hoc dispensationem, nec commissionem.

§. II. Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat.

14 In Dioecesi multae vastitatis debet Parochus fidam Personam adinvenire, quae a loco consecrationis expedite Olea deferat ad suam Ecclesiam, ut in tempore prompta sint pro fonte benedicendo in Sabbato Sancto, Quare omni sedulitate curabit, nec expensis pareet, pro hac felici Oleorum translatione. Expensae vero, quae in tali casu occurrent, ad Parochum pertinent, scil. pro cibaria, et viatico Clerici, seu Sacerdotis illius (talem enim decet esse translatores) qui Olea portabit: quae expensae dividi poterunt pro virili inter Parochos, quibus Olea distribuuntur, cum beneficium hoc sit commune. De renovatione, et combustione Oleorum jam satis diximus in explic. §. n. 6.

§. III. Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur: ac si deficere videantur, et Chrisma, aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de Olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

15 In explicatione Tituli IV. *de materia baptismi*, §. 3. n. 11. 12. quae diximus de materia Aquae, nostro huic casui applicari possunt circa Oleum: et si ultiores doctrinae desiderentur super hoc, videatur Clericat. *de Extr. Unct. decis.* 65. n.

12. *usque ad 15. exclusive*; ubi luculenter haec materia pertractatur, et afferuntur decreta Sac. Cong.

Similiter de necessitate abhibendi vetus oleum diximus in hoc Titulo, §. 1. *num.* 6.

§. IV. Chrisma, et Oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis bene obturatis; quae vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat, majusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

16 17 18 Per hoc quod Textus assignet Vascula argentea, aut stannea, non excluduntur aurea, si Ecclesiae opulentia id consenserit: quamvis Budaeus *l. 3. de Asse*, et Covarruvias *Vet. collat. numism. c. 3. §. 1. num.* 4. scribant: Vasa raro ex Auro purissimo fieri, ex eo quod illud Aurum usuram non ferat. Tantum excluduntur aenea, quia aes nimiam actuginem viridem producit, quae corrumpit Olea, et amarorem gignit. Neque lateritia, neque vitrea, neque fictilia esse debent hujusmodi Vasa, ob nimiam eorum fragilitatem; imo neque lignea, neque marmorea, sed tantum ex praescriptis metallis, dempto aere, seu aurichalcho; in quibus inscriptio bene efformata eminerere debet, ut ita facile distinguantur inter se. Litterae sint more Romano majusculae, non ad instar characteres muncupati *Cancellaresco*, quod ab omnibus non intelligitur ita facile.

§. V. Ad usum vero quotidianum minora habeantur Vascula ex Argento si fieri potes, aut stanno, sive separata, sive etiam conjuncta: apte tamen distincta, et bene cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut supra, ne Parochus aberret, et unum pro altero sumat: quod cavere debet diligenter.

19 Quaecumque diximus de Vasculis majoribus, repetenda sunt hic in minoribus, et manualibus: illa ad servanda Olea sunt, ista ad usum quotidianum. In quo usu quotidiano quaeendum est an peccet Sacerdos, qui administrans Baptismum, unum pro altero Oleo accipiat, et utatur, exempli gratia, Oleo Chrismatis pro Oleo Catechumenorum? Cui respondeo, quod

seclusa inadvertentia, quae nonnisi peccatum veniale inducit, peccaret graviter si hoc negligenter faceret: Primo quia Textus in hoc loco praecipit ut *debeat* cavere diligenter, et Rubrica obligat sub praecepto, Loter. l. 1. q. 16. num. 123. et notandum est Verbum illud *debet*, quod de jure importat necessitatem, et est praeceptivum, l. saepe, ff. de offic. Praesid. Fagnan. in c. qualiter, num. 37. de Cleric. non resit. Segundo quia ad effectum distinctum applicantur ista Olea, et in administratione falsa non concordarent verba cum effectu Olei, ideoque illuderetur significatio: si enim mutare verbum in administratione peccatum est, Clericat. de Extr. Unction. dec. 68. num. 19. 20. et Sacramentum repetendum est, multo magis hoc erit faciendum in mutatione materiae. In hoc tamen casu Theologi in varias sententias distrahuntur. Vide Sarnell. Ep. Eccl. T. 6. ep. 20. per tot. Anacletus vero T. 1. l. 1. tit. 16 n. 28. validum tenet Sacramentum, tali pacto ministratum.

20 21 Dicit quis: Oleum non est materia Baptismi neque proxima, neque remota, sed tantum quid Sacramentale. Respondeo, repetendam esse Unctionem cum Oleo, non ablutionem cum Aqua, Sed si hic error in administratione extremae Unctionis eveniret, quia Oleum est materia illius, deberet noviter cum vero Oleo administrari, et conferri Sacramentum. Multi tamen DD. sustinent non esse reiterandam hanc Unctionem, quia non sine magno scandalo fieret, et Sacramentum hoc non est tantae necessitatis, ut morientes absque illo Sacramento non possint salutem aeternam consequi, Div. Thom. 3. part. quaest. 29. art. 3.

§. VI. In ea igitur ex majoribus vasculis Chrismatis, et Olei, quod sufficiat, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium, seu quid simile habere, Oleo sacro, et Chrismate separatim perfusum in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur.

Tota haec Rubrica ad bonam custodiam Oleorum habendam inservit, ut ita effusiones caveantur.

22 23 Quid simile Bombacio erit Linum, sericum dissolutum, vel parva spongia; tota enim materia haec est apta ad ebibendum Oleum, et ad illud reddendum, seu exprimendum ad omnem levem compressionem digiti pollicis, qui digitus in unctionibus semper adhibendus est ex praecepto Rubricae; est enim commodior, et fortior digitus caeteris, et ejus usus in

rebus sacris frequens est, Clericat. de Confirm. dec. 56. n. 5. et seqq.

§. VII. Haec Vascula ita parata, in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave, ac tuta custodia decenter asserventur, ne ab aliquo, nisi a Sacerdote temere tangerentur, aut eis sacrilege quispiam abuti possit.

24 Expeditio modus ad bonam habendam custodiam horum Vasculorum est ut asserventur in Fonte baptismali, nempe in ejus propyleo ad instar Tumuli confecto, ut docet Cavalier. dict. tit. 8. num. 22. seu in armario sejuncto in Capella Baptisterii constructo d. num. 23. 24. cujus clavis custos sit Parochus, ne vasa tangerentur a Laicis, Conc. prov. 4. Injungitur haec obligatio rite custodiendi Olea sacra a Pontificali Romano his verbis: *Episcopus jubet Presbyteros attente, ut juxta canonum traditionem Chrisma, et Olea fideliter custodiant, et nulli sub praetextu medicinae, vel maleficium tradere praesumant, alioquin honore priventur.*

25 Non omnis vero tactus Sacrorum Vasorum sacrilegus est, sed ille tantum qui temere fit a personis laicis, quibus non nisi in gravi periculo, et in casu necessitatis permittitur tactus Sacrorum Vasorum. *Temere* significat hic sine causa, Terent. Phorm. 5 9. *Non pol: Temere est quod tu tam times*, hoc est, non abs re est, Auct. ad Her. l. 2. c. 8. *Non temere fama nasci solet.* Sine causa igitur, et extra necessitatem tangere ista Vasa licitum non est, et graviter peccant qui hoc faciunt. Unde si Laicus vellet sibi acquirere, et tractare sine causa Vasa Sacra integra, et non confrica, non essent illi concedenda per allegata a Redoan. de rebus Eccles. non alienand. quaest. 21. num. 32.

26 27 Scrillegia enim multa fiunt cum Oleo baptismali, et eo abutuntur malefici, ut notat Martin. del Rio disp. mag. Verum Oleum Sanctum est quoque remedium divinum, quo maleficia tolluntur, et Daemones fugantur, juxta illud D. Marci cap. 6. *Daemonia multa ejiciebant, et ungentes aegros Oleo sanabant.* Torreblanc. de Mag. c. 53. n. 16. §. 5.

§. VIII. Parochus quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum haec Olea deferantur: ca-

veat item ne de iis quidquam ulli unquam tribuat, cuiusvis rei praetextu.

28 29 Praeceptum hujus octavi Paragraphi renovatum fuit de recenti per diversas Constitutiones Synodales nonnullarum Ecclesiarum, quia illarum Episcopi adverterunt magnum scandalum oriri a traditione Sacrorum Oleorum facta personis laicis plerumque rusticis, et nullius conditionis, ad ea asportanda de loco ubi dispensantur ad Ecclesias Parochiales. Quare quaerendum est hic, an per verba illa: *Alium Ecclesiae Ministrum* possit intelligi Campanarius Ecclesiae. Et Respondeo: Si Campanarius est Clericus, ut mos est in Cathedralibus, quae nonnisi Clericum in Ostiariatus ordinem constitutum in Campanarium eligunt, possunt Olea, alio Ministro digniore deficiente, illi tradi: Si vero non sit Clericus, sed omnino Laicus, et vilis, ut esse solent Campanarii Ecclesiarum, ruralium, tunc Olea hujusmodi non sunt illi tradenda. In hoc casu Parochi advertant commodiorem modum, ubi penuria adest ministrorum, et manus sibi invicem porrigant, charitate ducti, non turpis lucri gratia.

§. IX. Sal, quod in os baptizandi immitendum est, sit benedictum sua peculiari benedictione, quae infra praescribitur; neque utatur Sale exorcizato ad benedicendum Aquam: sitque prius bene confractum, et attritum, siccum, ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptizandos servetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

30 31 Duplex Salis benedictio in Sacris Ritibus reperitur: Una est salis ad Baptismum inservientis, de quo dicemus infra: alia Salis pro aliis Benedictionibus. Advertit hic Textus noster, ne in Baptismo administrando Sacerdos utatur Sale benedicto ad faciendam Aquam benedictam, sed benedicto pro Baptismo, juxta illa verba, quae in formula benedictionis hujus leguntur: *Populo venienti ad credulitatem*, ut aliquo modo concordet significatio cum significato, et littera cum mysterio.

32 Sal multipliciter habetur; fortasse quando Textus inquit: *bene confractum*, de Sale petra loquitur, qui est Sal quasi lapideus nuncupatus *di Barletta*, qui difficile confringi potest, et difficillime liquescit: Quicumque vero Sal sit, imminutus esse debet ad instar pulveris.

33 Advertendum insuper est, quod iste Sal debet esse na-

turalis, non artefactus, ut Sal Saturni, Sal Maris, et hujusmodi a Chymicis confecti, et extracti artificiose per artem chymicam. Si vero, ut in aliquibus regionibus, esset Sal albus, ex Sale nigro artefactus, nempe cum decoctione, ut moris est, adhuc valet, quia vere sal naturalis est, et illa decoctio nihil aliud operatur quam depurationem veri salis a terreis particulis, adeo ut vere, quod remanet, sit sal. Iste sal candidus in pulverem redactus, et in vasculo testaceo albo reconditus approbatur a Synodo Ferrarient. Card. de Verme, *P. 2. de Sacram. Bapt. §. Salis virtus.*

34 35 Cum vero ex isto sale benedicto multa fieri possint sortilegia, praecipit Textus, ut nemini tradatur. Insuper cum Benedictio illi impertita, sit ad hoc ut sal hoc pacto benedictus ad nihil aliud inserviat, quam ad functionem baptismalem, non debet exponi periculo, ut non tantum in maleficiis, sed etiam ad faciendam Aquam benedictam adhibeatur: qua sal pro Aqua benedicta habet propriam benedictionem, et potest dari cuique ad hunc tantummodo usum.

§. X. Cum igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, haec in promptu esse debent.

36 37 Quia administratio Baptismi solemniter nec interrumpi, nec imperfecta remanere debet, sed perducenda ad suum finem sine mora: Omnia, quae in tali administratione occurrere possunt, debent esse parata. Si daretur casus, quod aliquid deesset, advertendum est, (quando commode et cito parari, et acquiri non posset) si eveniret ante ablutionem, debere differri collationem Baptismi ad aliud tempus, et donec provisum sit. Si vero haec deficientia occurreret post ablutionem, functio proseguenda est usque ad extremum, nec in suspenso tenenda. Provisio postea quod deficiebat, suppleri potest alio tempore quamvis interrupte, et per saltum fiat, quia melius est aliquo modo complere, quam imperfectam administrationem relinquere, ut docent communit. DD.

§. XI. Vascula Sacri Olei Catechumenorum, et Chris-matis.

38 Haec, ut jam diximus, debent esse vel argentea, vel stannea, non autem ex aere, vel aurichalco, vitro, aut argilla, etc vide §. 4. num. 16. 17, hujus T.